

Praxis igitur Romanorum Pontificum de solvendis subditis ab obligatione subjectionis erga principem fundatur quidem in dignitate auctoritatis Ecclesiae, in subordinatione finis reipublicae saecularis erga Ecclesiam, formaliter tamen repetenda est ex jure publico mediae aetatis.

23. Queritur quinam sit iudex in crimine haereseos.

Crimen hoc suam habet rationem formalem in oppositione ad fidem, unde ad tribunal Ecclesiae pertinet decernere utrum aliquis homo baptizatus haereticus sit vel non. Ad iudicem autem laicum spectat applicare poenas temporales. *Cap. 19. h. t. in VI.*

24. Quoniam vero in Diocesi immediatus custos fidei est Episcopus, hinc Episcopus procedit contra haereticum. *Cap. 13. h. t. § 'Adjicimus' et Clem. 1. § 'Propter quod' h. t.* Hinc Episcopus est inquisitor natus haereticae pravitatis. Si haereticus est persona exempta, Episcopus potest contra ipsum procedere, tamquam Sedis Apostolicae Delegatus. *Cap. 3. § ult. h. t.* Gravitas autem negotii suadet in causa haereseos non posse citare et iudicare Vicarium Generalem Episcopi, vi mandati Ordinarii. *Conc. Trid. sess. 24. De Reform. cap. 6.*

25. Poterit vero contra non exemptos in casu haereseos procedere ipse Vicarius Capitularis, Sede vacante, quia Vicarius Capitularis succedit Episcopo in iurisdictione et administratione ordinaria dioceseseos.

26. Quodsi instituta fuerit in loco S. Inquisitio, etiam inquisitores possunt facultate ordinaria procedere, idest procedere potest Episcopus et procedere eodem modo possunt inquisitores a Pontifice Romano in provincia deputati. At antequam sententia proferatur ab alterutro Tribunali, mutua actorum processualium participatio facienda est. *Capp. 11. et 17. h. t. in VI.* Si autem in provincia instituta non fuerit S. Inquisitio, Episcopus poterit contra haereticos procedere ex sese, ad sententiam definitivam, quin teneatur Inquisitoribus alienae Provinciae acta referre.

27. *De prohibitione librorum.* Inter prohibitiones in materia haereseos ab Ecclesia factas, reperitur etiam ea, quae haereticorum libros respicit. Breviter de hac prohibitione est nobis agendum:

28. Tres sunt classes librorum quos Ecclesia prohibet. Prima est eorum librorum, qui in Bulla 'Cœnae' prohibentur, idest qui auctore haeretico homine prodierunt. Secunda classis est, quae

auctores habet determinatas personas catholicorum, qui tamen contra fidem vel mores scripserunt. Tertia classis auctores habet anonymos, sed reprobandas doctrinas exhibet.

29. De prima classe librorum ita in Bulla 'Cœnae' statutum fuisse legimus 'Excommunicamus haereticorum libros haeresim continententes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicae scienter legentes aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore . . .'

Igitur 1^o. sub poena excommunicationis latae sententiae legi prohibebantur haereticorum libri haeresim continententes, non solum, sed etiam libri eorundem haereticorum, qui de religione tractant, licet haeresim non contineant. Ita deducitur ex particula disjunctiva 'vel'. At correctae hae dispositio est a Summo Pontifice Pio IX. in Const. 'Apostolicae Sedis' edita quarto idus Octobris 1869, in qua limitantur censurae latae sententiae. Siquidem in eadem Constitutione inter excommunicationes latae sententiae speciali modo Summo Pontifici reservatas, sub n. 2. excommunicatio statuta legitur contra 'omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum, et haereticorum haeresim propugnantes, nec non eosdem libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes'. Hinc libri haereticorum tractantes simpliciter de religione, non autem propugnantes haeresim legi nequeunt absque peccato ob prohibitionem quae describitur in secunda *regula indicis*, tamen non incurritur poena excommunicationis si libri hujusmodi legantur.

30. Secundae et tertiae classis libri, si damnati fuerint ob haeresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem, eorum lectio prohibebatur sub poena excommunicationis latae sententiae, non tamen Pontifici Romano reservatae. *Reg. X. Indicis.* At haec regula correctae esse videtur in cit. Const. 'Apostolicae Sedis'. Nam sub eodem n. 2. legitur excommunicatio contra 'legentes libros cujuscumque auctoris per apostolicas literas nominatim prohibitos, eosdem libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes'. Hinc prohibitio S. Congregationis Indicis quoad culpam perseverat, at excommunicatio urget tantum illos libros quos Apostolicae literae condemnaverint.

31. Quoad imprimentes in § ejusdem Constitutionis quae est de excommunicatione nulli reservata sub n. 4. circa finem legitur excommunicationi latae sententiae, nulli tamen reservatae subijci

‘illos qui libros de rebus sacris tractantes, sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt’. Hisce positis, quædam sunt explicanda. 1^o. Dicuntur *‘libri’*. Cum prohibitio sit res odiosa, sub prohibitione non cadunt breves scripturæ, vel concio, vel epistola, vel oratio typis vulgata. Nam juxta Doctores liber non constituitur minus decem foliis majoribus. Hinc non videntur comprehendi sub censura Ephemerides, seu diaria hæreticorum, vel aliorum propugnancia errores, quousque manent folia per se completa, ita ut unum sit ab alio distinctum. Quare comprehenduntur sub censura quoties folia dirigantur ad componendum volumen. Verum ubi intret periculum perversionis, lectio Ephemeridum a lege ipsa naturali prohibetur.

2^o. Ut prohibitio urgeat requiritur scientia prohibitionis. Licet ergo quisque ex debito naturalis obligationis teneatur vitare periculum perversionis, quando etiam prudenter dubitet de periculo hujusmodi in lectione alicujus libri, tamen prohibitio positiva Ecclesiæ urget solummodo quando verificatur scientia prohibitionis ipsius. Hinc excusat a censura ignorantia etiam crassa, et probabiliter etiam affectata, dummodo conjuncta non sit cum magna temeritate, quæ temeritas revelat contumaciam, quæ in censuris attenditur.

32. 3^o. *‘Legentes’* incurrunt censuram. Sed lectio debet esse formalis. Hinc qui materialiter legit absque ulla cognitione sensus non incidit sub prohibitione Ecclesiæ. Immo a censura et a peccato excusat parvitas materiæ, quæ juxta alios est si decem lineæ in lectione non superentur, juxta alios si integra pagina in folio non legatur. Melius vero tradunt alii Doctores illum incidere sub Ecclesiæ prohibitionem, qui legat etiam paucas lineas, in quibus sensus hæreticus contineatur, propter quem liber damnatus est. Nam scopus prohibitionis est, ne errores perlegantur, ne fortasse proprii fiant. Hinc pauca illæ lineæ non constituunt parvitatem materiæ.

33. 4^o. In prohibitione Ecclesiæ comprehenduntur *‘retinentes’*, idest qui in propria vel aliena domo etiam alieno nomine retineant vel custodiant prohibitos libros, licet non retineant hosce libros ut eos legant, sed ob aliam causam ex. gr. ut commercium industriamque in eis exercent.

34. 5^o. Etiam *‘imprimentes’* prohibitioni Ecclesiæ subduntur, quia ipsorum opera librorum iniquorum exemplaria multiplicantur.

Nomine imprimantium veniunt *componentes, preparantes et alii cooperatores*, necnon *Dominus officinæ typographicæ*, immo etiam *quæ expensas facit*, ut typis liber prohibitus mandetur. Hi omnes si scienter concurrant in publicatione libri alicujus, prohibitioni subjiciuntur.

35. 6^o. *‘Defendentes’* quomodolibet eadem prohibitionem tenentur. Hoc nomine defendentium intelliguntur illi, qui librum hæreticum *occultant*, ne iudicibus fidei tradatur, vel ne flammis comburendus committatur, necnon intelliguntur illi, qui *rationes excogitant et proponunt* ad librum defendendum ne comburatur, vel uti bonus et in fide integer retineatur.

36. 7^o. Tandem animadvertimus ex Constitutione Clementis VIII. in *Indice* librorum prohibitorum libros eorum, qui de *hæresi sunt suspecti*, vel in quibus aliqui *errores sunt commixti bonis doctrinis* prohiberi sub clausula *‘donec corrigantur et expurgentur ab erroribus’*.

De communicatione et disputatione cum hæreticis.

37. Olim nefas erat communicare cum hæreticis ob generalem regulam, qua interdicta erat communicatio quælibet cum excommunicatis. At post Extravag. *‘Ad evitanda’* Martini V. prohibitum non est communicare cum hæreticis etiam notoriis et manifestis, dummodo removeatur periculum scandali et perversionis. Hinc licitum est Catholicis contractus et negotia civilia cum hæreticis peragere, inservire in domibus hæreticorum, adire eorumdem templa et ex justa causa audire etiam eorum publicas conciones ad notandos errores, dummodo arceatur periculum perversionis et scandali. Ita communiter Doctores. At hoc non prohibet quominus auctoritas ecclesiastica in aliquibus locis ob peculiare circumstantias, et præsertim ob periculum perversionis sub pœna censuræ interdicat fidelibus ne templa hæreticorum ingrediantur.

38. Romæ autem præ oculis habenda est Instructio Eminentiissimi Cardinalis Vicarii directa Parochis die 12. Julii 1878, in qua de mandato Summi Pontificis hæc decernuntur:

1^o. Excommunicationem incurrunt Pontifici reservatam inter specialissimas, omnes illi, qui etiam sine voluntate adhærendi hæresi et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina hæreticorum sectis, denominationis cujuslibet.

2°. A fortiori eandem pœnam incurrunt, qui intersunt acatholicorum functionibus aut servitiis, uti dici solent, aut prædicantem audiunt eo consilio ut eidem sese dedant, quatenus, uti impie dicunt ab eo persuaderi possint.

3°. Ita etiam eandem incurrunt excommunicationem qui alterius spiritualis ruinae fautores effecti, inducunt quomodocumque et curant ut alii aut veniant ad aulas vel ad templa hæreticorum ad audiendas collationes.

4°. Tandem eadem innodantur pœna omnes qui typis publicant invitationes ad præfatas collationes et themata earundem, propter favorem quem tali actione præbent hæresis propagationi aut confirmationi. Strictissime vero vetatur ingredi mera curiositate et scienter aulas et templa Protestantium tempore collationum, et graviter peccant omnes, qui mera curiositate collationes Protestantium consultant et assistunt, quamvis materialiter, cæremoniis acatholicorum. (*Integra Instructio refertur in 'Acta S. Sedis' vol. XI. pagg. 168 et seqq.*)

39. Si autem sermo sit de disputatione, laicis etiam doctis sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ prohibitum est ne disputationes de fide ineant sive publice sive privatim cum hæreticis. *Cap. 2. h. t. in 6. § 'Jubemus'*. Laici enim licet docti non præsumuntur sacras scientias callere ut fas est ad confutandos hæreticos. Ob hanc rationem prohibetur laicis prædicare hæreticis. *C. 12. h. t.* At in locis in quibus sunt constitutæ societates hæreticorum, et ubi hæretici permixti vivunt cum catholicis, lex de vetita disputatione laicorum cum hæreticis in usu non servatur, præsertim quia frequens necessitas verificatur audaciores redarguendi de erroribus, necnon veritatem propugnandi, ne pusilli in fide coram hæretico scandalum patiantur.

40. Quoad Clericos non est in jure prohibitio disputandi de fide cum hæreticis ad fidem ipsam propugnandam. Et si quæ prohibitio videatur esse hujus generis in *can. 36. in fin. caus. 24. q. 3.* ea, ut adnotat Glossa, respicit casum disputationis dubitativæ, qua nempe Clericus quin protuatur veritatem certam, potius quasi in dubium eandem veritatem definitam revocare intendit. Cæterum in disputatione Clericus caute procedere debet, nec eam suscipiet nisi conscius de sufficienti notitia rerum: videns disputationem utilem fore, non autem cadere posse in præjudicium fidei et in scandalum aliorum.

41. Prædicare autem nequeunt hæreticis Clerici, nisi ad hoc specialiter deputati. *Cap. 13. h. t. § 'Quia vero'*. Missio enim juxta Apostolum ad prædicandum requiritur, et in specie quando hostibus fidei verbum Evangelii sit nunciandum.

TITULUS VIII.

De Schismaticis et ordinatis ab eis.

1. Ecclesia catholica, quæ est societas in genere suo perfecta componitur ex pluribus particularibus ecclesiis, quæ ceu totidem membra in ordinata dependentia cum uno capite, unum quodammodo mysticum corpus constituunt. Ex hac mutua relatione et connexionione membrorum cum capite exurgit illa mirabilis unitas, qua fideles ordinis inferioris subsunt aliis fidelibus ordinis superioris, atque ita ascendendo Universa Ecclesia subest Capiti suo visibili Romano Pontifici, ita ut unum ovile exhibeat sub uno pastore. Hæc admirabilis unitas rumpitur per *schisma* seu *scissuram*.

2. Schisma aliud *purum* dicitur, aliud *non purum*. Schisma purum illud est, quod *directe* opponitur *unitati Ecclesiæ* non autem *fidei*. Ille scilicet est schismaticus purus, qui omnes prorsus articulos fidei admittit et fatetur legitimæ auctoritati in Ecclesia obtemperandum esse, tamen ex malitia denegat obedientiam legitimæ ipsi auctoritati. Exemplum hujus schismatis frequens erat, quando auctoritate imperiali expulso legitimo Pontifice, Antipapa in Sede Petri ei sufficiebatur.

3. Schisma non purum est illud, quod cum hæresi conjungitur. Hinc si aliquis articulus fidei denegetur ex. gr. si denegetur Romanum Pontificem esse successorem B. Petri, vel Christi Vicarium cui sit obtemperandum, locus fit schismati non puro. Schisma purum diu non perdurat, sed facile in hæresim convertitur, qua credatur extra Christi Ecclesiam haberi posse salutem vel alia hujusmodi.

De pœnis contra Schismaticos.

4. Hæ pœnæ sunt:

1°. Excommunicatio major latæ sententiæ et Summo Pontifici reservata. Ita in Bulla *'Cœnæ'* et in Constitutione Pii IX. *'Apostolica Sedis' n. 3.* inter excommunicationes speciali modo Romano Pontifici reservatas.